



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **De Vita Et Institvto S. Ignatii Societatis Iesv Fvndatoris. Libri Qvinque**

**Bartoli, Daniello**

**Lvgdvni, 1665**

XLV. Ex lethali vulnere sanatur.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10840**

randæ causa dimissum fuerat, ut posset naufragis subsidio esse. At hic, nauis Prætori, Antonio Maldonato Riberæ, cogitatio incidit, eius in cultum S. Ignatij præclarissimo studio mirè quadrans, implorandi nimirum ipsius auxiliij tum ut atrox discrimen discuteret, tum quantâ esset in cœlis gratiâ palam incredulis faceret; pridic siquidem de sanctimonia illius, nondum videlicet Beatis adscripti altercatio fuerat, & quantum ad aliquos minus honorifica quam deceret. Ut autem constaret gratiam quæ postularetur, eius beneficio deberi, rogauit ut horis ante meridiem duabus, ventum, qua valebat apud Deum potestate mutaret, quo possent iis defuncti scopulis portum tenere incolames. Supererant quatuor ad dictam decimam tantum horæ; quidam è Patribus, temoni S. Ignatij imaginem appendit; atque illa omnino quam Prætor statuerat decima, tantum ventus remisit, quantum desinite opus fuit ad explicandam nauim ex illis faucibus, implicandam prorsus nautarum iudicio, in alios scopulos, si quauis aliâ venti mensura ueheretur, sic salui, lati, & alacres portum breui tractu optatum attigerunt.

Transibat Mediolano Philippus Lopesius Villanouanus, vbi iurgatus cum quodam sibi noto, etiam ad manus venit, ac dum colluctantur, detractum ille Philippo pugionem sub eius mamilla defigit, inter nonam & octauam costam. Increuit vulnere febris ingens, pulsus durities, & sudor frigidus cum deliquo spirituum, & ægro anhelitu: chirurgus plagam palmi altitudine metitur, & tam ipse cum perito sodali, quam medicus, ex communi examine non plus ei vitæ, horis quadraginta restare pronuntiant. Iam quidem peccata expiarat apud Sacerdotem quem primum necessitas obtulerat, sed quod Castellane non satis caperet, ne quid resideret animo scrupuli Sacerdotem acciuit è Societate, qui postquam audiit confitentem, plurimum suavit, ut in patrocinio S. Ignatij vitam deponeret, peteretque ab eo seruari, si è re animæ futurum prospiceret: morem faucius gessit, vouitque se ad eius sepulchrum, si sanus euaderet, donarium ex argento missurum. Quibus ita peractis febris ponit; redit spirandi facilitas; vulnus postridie, bolidem vix vno digito admittit; quod suspicati medici ex tumore ortum, futuri abscessus prænuntio, noua consilia distulerunt quoad clarioribus indiciis docerentur. Sed erat hæc conglutinatio, non tumor vulneris, quod intra quartum diem cum planè coisset, septimo agrotus lecto se expedit, nono iter quod ceperat in Belgium repetit.

Fuit Stanislaio Philippouizio Varfauiæ proconsuli quadrimus filius Hiacinthus vitæ ex morbis conclamata, cuius in momenta mors expectabatur. Auctor fuit matri Sacerdos Canonicus, ferendi puerum in Societatis templum, nuncupandique pro illo ad S. Ignatium voti. Paret pie suadenti mater, patre licet admodum repugnante, quod moriturum prius crederet filium, quàm ad templi fores ventum esset. Verum longè secus quam metuerat euenit; tulit puerum mater, toto sacri tempore coram

XLV.

*Ex lethali  
vulnere sa-  
natur.*

XLVI.

*Quadrimus  
puer Varfa-  
uia sanatur  
anno 1611.*

HH h

S. Igna